



Per.  
Lat  
020


Prodit Budapestini VIII., Szentkirályi-u. 28. Calendis et Idibus cuiusque mensis, excepto Iulio et Augusto. — Pretium annuae subscriptionis in Hungaria: 4 coronae. Prostat Parisiis in aedibus  
 ♥♥♥♥♥♥♥♥♥♥ Croville-Morant, 20 rue de la Sorbonne. — Telephonum: József 858. ♥♥♥♥♥♥♥♥♥♥

## Eduardus Detaille

insignis Gallorum pictor, qui anno 1848 Parisiis natus erat, nuperrime mortem obiit. Discipulus erat clarissimi Meissonieri, cui ad vitae finem gratiam<sup>1</sup> cumulatissimam<sup>1</sup> referebat;<sup>1</sup> magister autem tali hoc alumno gloriabatur.

In bello fatali anno MDCCCLXXI, arma pro patria cepit, post cladem funestam omnibus ingenii viribus enitebatur, ut belli horroribus pictis civium ardores<sup>2</sup> excitaret. Victores, Receptus,<sup>3</sup> Legio incedens,<sup>4</sup> Salutatio vulneratorum, Defensores urbis Champigny omnibus artem amantibus, non solum Gallis, nota sunt.

Pictura, quam videmus, Transvectio<sup>5</sup> Equitum<sup>5</sup> (vocabulo Gallico: Revue) appellata est. Milites pugnā fatigati, sagis<sup>6</sup>



operti in campo dormiunt, arma cum vexillo posita sunt. Dormientibus in somnis equites, vexillifero praeunte, impetu concitati se inferre videntur.


Detaille erat unus omnium, qui unquam proelia pingebant, peritissimus, qui res gestas patriae suae pulcherrimis artificii monumentis augebat.

Et hercle non mediocria artis praemia tulit pictor ille clarissimus, qui anno MDCCCLXXXIX, cum Parisiis artis<sup>7</sup> gentium<sup>7</sup> opera<sup>7</sup> propalam<sup>7</sup> collocarentur,<sup>7</sup> praemio magno ornatus est. Et artium academiae socius et allectus legionis honoris erat. Gloria pictoris ultra fines Galliae longe lateque vulgabatur, quippe cuius «Eques Arma-

<sup>1</sup> nagy hálával vi-  
seltetik <sup>2</sup> lelkesedés  
<sup>3</sup> takarodó <sup>4</sup> menetel  
<sup>5</sup> lovas szemle <sup>6</sup> kö-  
penyeg <sup>7</sup> nemzet-  
közi műkiállítást  
rendez.




tus», insigne artis opus in Artium Eleganti-  
orum Museo Budapestinensi asservatur.  
In amicis et Eduardi VII. Britannorum  
regis et Alexandri III. Russorum impera-  
toris numerabatur.



### LECTORIBUS MINIMIS.

#### De puerula curiosa.<sup>1</sup>

Vos ignoratis sororculam<sup>2</sup> meam? Non-  
dum annum quartum egressa est. Sed pedi-  
bus exiguis semper fere cursitat omnesque  
partes domicilii nostri inquiri<sup>3</sup> et omnia  
mavult, quam quie-  
tem. Maniculis<sup>4</sup> om-  
nia contrectat,<sup>5</sup> om-  
nia captat, etiam  
quae contrectare vel




captare non licet. Ceterum puella est bona,  
iucunda, prudens.

Et parentes nostri, et familia<sup>6</sup> omnes res  
occultant,<sup>7</sup> quae occultari possunt. Sed in

tantis aedibus tot res minu<sup>8</sup>tas<sup>8</sup> quis occul-  
tare possit?...


De hac puella historiunculam narrabo,  
quae vobis risum movebit, credo.

Heri enim cum parentibus in theatro fui,  
ubi fabula<sup>9</sup> pulcherrima agebatur.<sup>9</sup> Nobiscum  
portaveramus telesco-  
pium<sup>10</sup> scenicum,<sup>10</sup> ut  
scenam melius videre  
possemus. Postquam  
domum venimus, pa-  
ter me telescopium seponere iussit.



Sed aliquid oblitus sum. Hoc mihi nunc  
repetendum<sup>11</sup> est. Est enim in domo nostra  
etiam feles, lepidissima<sup>12</sup> bestiola, socia lu-  
dorum sororis meae. Quae cum edit, cum  
ambulat, cum surgit, cum sedet, assidue  
secum habet bestiam iocularem,<sup>13</sup> tam lepede  
ludentem.

Si nunc picturam  
intueris,<sup>14</sup> vides so-  
rorem meam, quae  
telescopium com-  
prehendit,<sup>15</sup> ut felem spectaret. Animal solito  
loco sedet, minime inquietatum<sup>16</sup> despectat<sup>17</sup>  
amicam appropinquantem. Quae autem vi-



1 kíváncsi 2 testvérke 3 felkutat 4 kis kéz 5 meg-  
fog 6 cselédség 7 elrejt 8 apró 9 darabot ad  
10 látócső 11 kipótól 12 kedves 13 tréfás 14 megnéz  
15 megfog 16 nyugtalanít 17 letekint



#### Puer Italus.

In constrato<sup>1</sup> navis, quae Barcinone<sup>2</sup> pro-  
fectura erat, sedit puer Italus circiter quat-  
tuordecim annorum, veste detrita<sup>3</sup> vestitus,  
qui omnes homines timere videbatur.

Tres vectores peregrini — non enim Itali  
erant — attenti spectantes puerum denique  
allocuti sunt:

— Quis tu es? Quid agis? Si nobis vitam  
tuam enarraveris, adiuvabimus te.

— Patavii<sup>4</sup> natus sum. Parentes pauper-  
ate impulsi me domino circi vendiderunt,

apud quem vitam vivebam, ut bos sub iugo.  
Assidue baculo vel virga pulsabar. Nunc  
Barcinonem venimus, ubi de nave profectura  
certior factus fugam<sup>5</sup> capessivi.<sup>5</sup> Non habeo  
pecuniam. Nescio, quid agam.

His auditis vectores misericordiā commoti  
pecuniam dederunt puero, qui pro beneficio  
gratias egit.

Quietus sedens auscultabat colloquio homi-  
num, qui maledicere<sup>6</sup> coeperant Italiae, Italos  
ipsum perfidos, subdolos,<sup>7</sup> fures esse iactabant.

Puer rubore<sup>8</sup> perfusus prosiluit et pecuniā  
proiectā:<sup>9</sup>

— Pecuniam accipere nolo — inquit —  
a hominibus, qui patriae meae maledixerunt.

Ad narr. Edm. de Amicis  
A. Sziklai (Bp., III.).

1 fedélzet 2 Barcelona 3 kopott 4 Padova 5 meg-  
szökik 6 szid 7 alattomos 8 pir 9 odadob.

trum<sup>18</sup> vix oculis aptavit,<sup>19</sup> cum magnitudine  
repentinā felis perterrita telescopio de mani-  
bus demisso aufugit. Adeo visu insolito<sup>20</sup>  
perterrita est! Cum fletu<sup>21</sup> maximo ad  
matrem cucurrit, quae parvulam aegre pa-  
care<sup>22</sup> potuit. *C. Schambach.*

<sup>18</sup> üveg <sup>19</sup> illeszt <sup>20</sup> szokatlan <sup>21</sup> sírás <sup>22</sup> lecsitít.

### Ad crucem.

*Iulii Sturm* carmen «Am Kreuz». Latine vertit *Guil.  
Lehmann* (Vratislaviensis).

*Cui sunt humani<sup>1</sup> quos amavit plurimum,  
Crucem silenter exstruat caris<sup>2</sup> supra.<sup>2</sup>  
Cor inde pacis fiet almae<sup>3</sup> particeps,  
Quamvis rigentur<sup>4</sup> ora guttis tristibus.*

*Quacumque lenes lacrimae iuxta crucem  
Mollesque manant<sup>5</sup> deditaeque numini,  
Nascuntur illic e sacro busto<sup>6</sup> rosae,  
Quae mite sertis<sup>7</sup> redimient<sup>8</sup> lautis crucem.*

<sup>1</sup> temet <sup>2</sup> supra caris <sup>3</sup> édes <sup>4</sup> áztat <sup>5</sup> árad <sup>6</sup> sír  
<sup>7</sup> fűzér <sup>8</sup> díszít.



In numero XIII. anni superioris verba  
fecimus de discipulis speculatoribus,<sup>1</sup> qui  
a Britannis *boy-scouts*, a Germanis *Pfad-  
finder* appellantur.

Ut illo tempore diximus, institutum e  
Britannia profectum, deinde per Americam  
et Germaniam divulgatum nunc totam fere  
Europam complectitur.

Baden-Powell legionis<sup>2</sup> legatus,<sup>2</sup> Britannus  
de discipulis speculatoribus librum con-  
scripsit, qui proxime etiam linguā Hunga-  
ricā in lucem prodibit. In hoc libro singil-  
latim enumerat vir ille strenuus, quae ad  
rem explanandam<sup>3</sup> et divulgandam utilia  
esse videantur. Eo auctore his quattuor  
annis numerus eorum, qui speculatores  
facti sunt, decies centenorum milium effici-  
tur. In Suecia<sup>4</sup> circiter decem milia sunt,  
qui in Olympiis Holmiensibus peregrino-  
rum ductores etiam in palaestra ordini<sup>5</sup> ac<sup>5</sup>  
disciplinae<sup>5</sup> ita praeerant,<sup>5</sup> ut ab ingenti  
multitudine hominum maxime probarentur.

In Gallia, Belgica, immo etiam in Russia  
discipuli speculatores instituebantur et ubi-  
que gentium mirum quantum profuit hic  
mos ad animos iuvenum excolendos, qui  
hoc modo a vita otiosa et a cinematographi-  
cis spectaculis frequentandis arcentur.

Tandem aliquando viri, qui rebus scho-  
lasticis per Hungariam praesunt, morem  
illum utilissimum etiam apud nos instituere  
cogitant.

<sup>1</sup> cserkésző <sup>2</sup> tábornok <sup>3</sup> megmagyaráz <sup>4</sup> Svéd-  
ország <sup>5</sup> rendre ügyel.



Faller aëronauta aliam atque aliam victo-  
riam in arte volandi reportat. Nuper cum  
quinque vectoribus subvolavit in aërem, ubi  
horae spatio diutius mansit, postridie autem  
se ipsum vicit, biplano suo cum septem  
vectoribus sublatus supra palaestram Habs-  
heimiensem horas sex et dodrantem<sup>1</sup> voli-  
tans. Navigium chiliogrammatibus quingen-  
tis sexaginta tribus oneratum erat. Ars  
Falleri nos spem<sup>2</sup> concipere<sup>2</sup> iubet<sup>2</sup> fore ut  
veniat tempus, quo navigia aëria instru-  
menta<sup>3</sup> vectoria<sup>3</sup> quotidiana futura sint.

<sup>1</sup> háromnegyed <sup>2</sup> reményt nyújt <sup>3</sup> szállító eszköz.

### Gallus. IV.

Scriptis *G. A. Becker*, in Latinum convertit —*il.*

Dum domus ex omni parte mundatur et  
ornatur, dum dispensator<sup>1</sup> tabulas<sup>2</sup> accepto-  
rum<sup>2</sup> et<sup>2</sup> expensorum<sup>2</sup> conficit, quas domino  
recognoscendas tradat, dum cellarius<sup>3</sup> in  
cella<sup>4</sup> penaria<sup>4</sup> et vinaria omnia recenset,  
dum pro<sup>5</sup> virili<sup>5</sup> parte<sup>5</sup> quisque mandata  
persequitur, turba mane salutantium com-  
plebat vestibulum. Homines omnis fortunae  
ac loci variis rationibus adducti concurrunt.  
Cernerer hic cives inferioris classis, quibus

<sup>1</sup> számvető <sup>2</sup> pénztári könyv <sup>3</sup> pincemester <sup>4</sup> élés-  
kamra <sup>5</sup> tehetsége szerint

Gallus subsidio<sup>6</sup> erat, iuvenes nobili genere, per amicum Augusti fortunam tentaturos, poetas pauperes, qui pro salutatione matutina ad cenam invitari volunt, esuritores<sup>7</sup> pertusā<sup>8</sup> laenā,<sup>8</sup> qui quotidianam sportulam<sup>9</sup> accepturi venerunt, amicos sincerā amicitia vel gratiā devinctos, aliosque homines, quos iuvat aditum habere ad domum nobilissimam.

Quibus omnibus non erat molestum somnos rumpere et iam a prima luce per urbem discurrere, ut ante limina potentiorum expectarent, dum immissi dominis ave<sup>10</sup>



matutinum<sup>10</sup> offerant. Plerique enim salutantium iam plures domos perambulabant, priusquam huc venissent. Immissi ab ostiario<sup>11</sup> in atrium se receperunt vel in porticibus dissipati<sup>12</sup> sermocinando<sup>13</sup> aut singula<sup>14</sup> lustrando tempus terebant, dum a nomenclatore<sup>15</sup> nomina eorum domino nuntiarentur.

Interea Gallus solito tardius e lecto surrexit, neque tamen ita affectus<sup>16</sup> erat, ut multitudinem sibi indifferentem<sup>17</sup> exciperet. Praecipit igitur nomenclatori, qui unumquemque salutatorum nominatim vocare iam didicerat, ut exspectantes sub praetextu<sup>18</sup> valetudinis<sup>18</sup> domini dimitteret et tantum Pomponium aliosque familiares amicos in cubiculum immitteret.

Inclinante horā<sup>19</sup> secundā<sup>19</sup> advenit Pomponius. Erat vir quadraginta fere annorum. Ex oculis in foraminibus<sup>20</sup> alte sitis et ardentibus, ex genis<sup>21</sup> lapsis<sup>21</sup> et pallidis acerbisque lineamentis nec non ex toga dissi-

denti<sup>22</sup> facile cognoscas hominem dissolutum,<sup>23</sup> qui noctes in comissionibus, alea et vino consumebat. Ex ampla familia oriundus hereditate sestertium<sup>24</sup> fere vicies<sup>24</sup> accepit, feneratores<sup>25</sup> autem iam pridem naeniam<sup>26</sup> dixerunt de bonis eius. Re familiari dissipatā<sup>12</sup> domoque paterna vendita nunc in insula<sup>27</sup> ad ripam Tiberis tribus<sup>28</sup> milibus<sup>28</sup> habitat, ubi cum aliquot sordidatis<sup>29</sup> servis de die in diem vivit sine ulla providentia futurorum. Non coquitur<sup>30</sup> domi, panis et hornum<sup>31</sup> vinum<sup>31</sup> singulis diebus a caupone comparatur. Attamen vir facetus<sup>32</sup> non agit vitam solitariam, sed adulationibus<sup>33</sup> benevolentiam multorum sibi colligebat nobilium, quibus dein socium se adiunxit. Ingeniosus instructor<sup>34</sup> convivii et sollertissimus<sup>35</sup> magister bibendi — mirabile dictu — ab Augusto quoque nonnunquam ad cenam vocabatur. Non est igitur mirandum hominem lepidum<sup>36</sup> et iocosum comitate et facilitate, officiis<sup>37</sup> et obsequiis<sup>37</sup> nec non simulatā amicitia in familiaritatem Galli se insinuasse.<sup>38</sup>

Paulo post Pomponium venerunt duo viri, diversi et moribus et ratione cogitandi atque agendi. Lentulus, homo in primo flore aetatis, dives et vanus,<sup>39</sup> erat simillimus iuvenum nostrae<sup>40</sup> memoriae<sup>40</sup> exornatorum<sup>41</sup> et sui admirantium, quos auctor quidam Gallus salse dixit eosdem esse ac: «bourses d'étalage: qu'y a-t-il au fond? du vide» (bella<sup>42</sup> marsupia<sup>42</sup> exposita, quae nihil continent).

Lentulus est homo vere *bellus*, nam tota Urbe neminem invenias, qui maiorem curam adhibeat cultus<sup>43</sup> vestitusque.<sup>43</sup> Quotidie flexos<sup>44</sup> crines<sup>44</sup> ordine<sup>45</sup> digerit<sup>45</sup> et semper

6 segítségül 7 éhenkórász 8 kopott felsőruha 9 alalmazna 10 reggeli üdvözlet 11 kapus 12 el-, szétszór 13 beszélget 14 egyes dolgokat 15 «bejelentő» 16 kedélyhangulatú 17 érdektelen 18 betegség ürügye 19 reggeli 8 óra körül 20 mélyedés 21 beesett orca 22 hanyagul fölvet 23 dorbézoló 24 2,000.000 25 uzsorás 26 «búcsut» 27 bérház 28 3000 sestertius évi bérért 29 piszkos, «hitvány» 30 főz 31 tehát nem óbor, hanem olcsó újbör 32 szellemes 33 hizelgés 34 rendező 35 ügyes 36 kellemes 37 szolgálatra készség 38 behizeleg 39 hiú 40 modern 41 cifrálkodó 42 csinos pénzeszacskó 43 külső 44 göndör haj 45 elrendez

balsama olet.<sup>46</sup> Non ignorat, quae fuerint heri in Urbe acta, quis mortuus, quis natus fuerit, quam sibi Caius hodie desponderit,<sup>47</sup> quando Publius nuptias celebraturus sit. Tota die discurrit per urbem cantica<sup>48</sup> nova lallans<sup>49</sup> vel legit tabellas<sup>50</sup> hinc illinc missas easdemque scribit.

Quod Gallus amicitiam eius non captabat,<sup>51</sup> nemo mirabitur. At enim Pomponius semper respexit eum divitem esse atque apud eum optime cenari; saepe tamen vanitatem eius in<sup>52</sup> ridiculum<sup>53</sup> convertit.<sup>52</sup>

Alter, qui cum Pomponio venerat, Calpurnius vocatur. Quantum discrimen inter duos viros! Quanta differentia naturarum! Proceritas<sup>54</sup> huius cum serio habitu corporis auctoritatem et reverentiam prae<sup>54</sup> se<sup>54</sup> fert.<sup>54</sup> Oculi nigri supercilio<sup>55</sup> hirsuto<sup>55</sup> adumbrati igni latenti flagrant. Frons tetrica<sup>56</sup> et vultus rugis<sup>57</sup> aratus<sup>57</sup> severusque hominem adversis fortunis prostratum testantur. Corpus totum operit toga usque ad talos<sup>58</sup> defluens et in decentes<sup>59</sup> plicaturas<sup>59</sup> collecta, cuius in sinu dextram more oratorum positam habet.

*Reliqua deinceps persequemur.*

<sup>46</sup> szagos <sup>47</sup> eljegyéz <sup>48</sup> dal <sup>49</sup> dudorász <sup>50</sup> levélke  
<sup>51</sup> kap rajta <sup>52</sup> nevetségessé tesz <sup>53</sup> magas termet  
<sup>54</sup> feltüntet <sup>55</sup> sűrű szemöldök <sup>56</sup> komoly <sup>57</sup> ráncos  
<sup>58</sup> boka <sup>59</sup> illedelmes redő.

## De floribus sanguineis Sztrecsnoensibus.

Scripsit *Viktor Rákosi*, in Latinum convertit: — *il.*

Interim Szeredai in promunturio<sup>42</sup> stabat et telescopio<sup>43</sup> valles explorabat . . .<sup>44</sup> Tunc<sup>45</sup> ipsum<sup>45</sup> disiectae sunt nebulae . . .<sup>12</sup> radiis solis splendentibus immensum altitudinis collustrabatur: sub ipsis radicibus montis apparebat exercitus Russorum totus in armis.

Classico<sup>23</sup> Hungarorum audito exercitus parumper constitit seque [ad dimicandum] parabat.

- Expediti<sup>40</sup> estis?
- Omnino.
- Martine!

Colonus, qui prae lacrimis loqui non potuit, accessit. Iuvenes litteras in pastoralis eius perā<sup>47</sup> posuerunt.

Age, Martine, dicto<sup>48</sup> citius<sup>48</sup> progredere, ne itinere intercludaris.

Quid, si et ego hīc maneam? — dixit colonus parva voce.

Nequaquam — respondit breviter Szeredai et cum eo paulum recedens<sup>49</sup> tradidit ei fasciculum<sup>50</sup> capillorum,<sup>50</sup> anulos, horologium,<sup>51</sup> epistolam, quae omnia uxori redderet.

Senex dein demisso capite et pedibus titubantibus<sup>52</sup> ex loco superiore descendens mox ex oculis elapsus est.

— Attendite! Hostes moventur! dixit custos in statione promunturii positus.

Omnes deinceps<sup>30</sup> sclopeta tot Russis necem paratura inspiciebant. Dum tympanistae<sup>53</sup> et tubicines<sup>54</sup> in promunturio positi summis viribus tympana<sup>55</sup> pulsant<sup>55</sup> et tubas<sup>56</sup> inflant,<sup>56</sup> parva manus in fauces,<sup>57</sup> quae saxis congestis arboribusque obiectis erant munitae, deserbat.

Tum pariter Russi clivos iam tenentes globos<sup>58</sup> ex tormentis<sup>59</sup> mittebant, quae in iugo Sztrecsnoensi displodebantur. Classicum<sup>23</sup> conticescit. Uterque tympanista in ruinae modum promunturio devolvebatur.<sup>60</sup>

— Ubi sunt tubicines? interrogat Szeredai.

— Defuncti<sup>61</sup> sunt, respondit alter tympanistarum, sclopeto sursum<sup>62</sup> monstrans.

Oculi omnes eodem conversi sunt. Unus ex tibicinibus decurrens assula<sup>63</sup> ferrea<sup>63</sup> ictus ita procubuit, ut caput eius ab extremo<sup>64</sup> calle<sup>64</sup> dependens commilitones despectaverit. Facies eius morte distorta<sup>65</sup> est, ex ore aperto manabat cruor, lumina leto<sup>66</sup> frigida stupebant, velut si vigilaret, num illi quoque mori auderent.


Iuvenes pallidi se invicem<sup>67</sup> aspiciunt.

— Attendite, exclamavit discipulus Sárospatakiensis, pedites iam progrediuntur.

Ad concaedes<sup>68</sup> quisque locum suum occupavit.

*Reliqua deinceps persequemur.*

<sup>42</sup> hegyfok <sup>43</sup> távcső <sup>44</sup> kémlel <sup>45</sup> épen akkor  
<sup>46</sup> kész <sup>47</sup> táska <sup>48</sup> a szónál gyorsabban <sup>49</sup> félrevonul <sup>50</sup> hajesomó <sup>51</sup> óra <sup>52</sup> ingatag <sup>53</sup> dobos  
<sup>54</sup> kürtös <sup>55</sup> megüti a dobos <sup>56</sup> megfújja a kürtöt  
<sup>57</sup> szoros út <sup>58</sup> golyó <sup>59</sup> ágyú <sup>60</sup> lefordul <sup>61</sup> meghal  
<sup>62</sup> fölfelé <sup>63</sup> vasszilánk <sup>64</sup> ösvény széle <sup>65</sup> eltorzul  
<sup>66</sup> halál <sup>67</sup> kölcsönösen <sup>68</sup> torlasz.



**Sinenses imperio<sup>1</sup> singulari<sup>1</sup> sublato etiam veterem scribendi rationem abolere<sup>2</sup> parant, ut etiam hac in re aliis populis pares fiant. Figurae enim — circiter octoginta milia sunt — quibus in scribendo utuntur, non sunt singularum litterarum imagines, sed notionum.<sup>3</sup> Hac scribendi ratione, quae iam quattuor milia annorum in usu habetur, memoriae acies maxime intenditur,<sup>4</sup> quamobrem curatores<sup>5</sup> novae rei publicae ad hanc rationem innovandam<sup>6</sup> animos convertebant. Cui rei operam dant viri doctissimi Sinae cum Rovetta, magistro Neapolitano eruditissimo. Opus difficile paene confectum est.**

Novae litterarum Sinensium notae<sup>7</sup> quadraginta duae futurae sunt, in quibus viginti tres vocales, undeviginti consonantes. Multitudine vocalium Sinenses talibus vocibus uti demonstrantur, quae notis Europaeis describi nequeant. Et profecto tantum undecim vocales poterant formis Latinis, Graecis et Russis exprimi, ad reliquas describendas novae formae inveniendae erant, quae notis Europaeis conversis, mutatis, coniunctis constructae sunt. Consonantes notis Europaeis describuntur.

Quae cum ita sint, fieri potest, ut fama de Sinensium linguae difficultate brevi tempore in superstitionibus<sup>8</sup> antiqui temporis habeatur.

**Arpinum** (nunc Arpino), parva urbs Italiae, statuam marmoream erigere cogitat Marco Tullio Ciceroni, qui ante duo milia annorum hic natus est. Hoc primum monumentum Ciceronis erit.

R. K.

**Ineunte aestate vel autumno prima navis vapore vecta iter faciet per fossam Panamensem, qua continens Americana in duas partes dividetur. Illa navi vehetur Goethals tribunus militum nec non ii machinatores<sup>9</sup> et<sup>9</sup> artifices<sup>9</sup> Americani, qui annum**

iam octavum laborant, ut maximum hoc opus perficiatur. At fossae commeatus<sup>10</sup>



publico aperiendae dies constituta est Cal. Ian. anni millesimi nongentesimi decimi quinti.

R. K.

**Iohanna Lloyd**, medici Britannici filia septennis Londinii in academia<sup>11</sup> musicis<sup>11</sup> instituendis<sup>11</sup> tentamen<sup>12</sup> summae classis maxima cum laude subiit.<sup>12</sup> Puellula quattuor annos nata iam documenta<sup>13</sup> sui<sup>13</sup> dederat,<sup>13</sup> his vero ultimis tribus annis cursum totum peregit. Praeter ingenium in musicis absolutum aliis in rebus immature<sup>14</sup> magnae<sup>14</sup> mentis indoles dici non possunt neque Iohanna alios id aetatis parvulos praecellit.

**Clades maxima** accidit Iduni.<sup>15</sup> Aliquot discipuli in glacie fluminis Murii<sup>16</sup> soleis ferratis cursabant, in quibus Katschnig et Princic quartani. Miserandi pueri glaciem ultimorum dierum frigore remisso<sup>17</sup> mollitam esse non animadverterunt, itaque inconsiderati in eam insiliebant. Sed glacie rupta primus Katschnig in aquam cecidit, deinde amicus, qui amico periclitanti<sup>18</sup> opem ferebat, haustus est. Qui aderant discipuli, sodales servare voverunt, sed nequibant. Calamitate celeriter in urbe pervulgatā duo pueri, qui tirones<sup>19</sup> in officina<sup>20</sup> patris Katschnigii erant, ad filium domini servandum in glaciem properabant. Sed etiam hi miserimi fluctibus hauriebantur. Vigiles<sup>21</sup> ad seram vesperam corpora mortuorum quaerebant, sed frustra.

1 egyeduralom 2 megszüntet 3 fogalom 4 megfeszít 5 kormányférfiú 6 reformál 7 jegy 8 babona 9 mérnök 10 rendes közlekedés 11 zeneakadémia 12 vizsgálatot tesz 13 bizonyítékát adja tehetségének 14 koraérett 15 Judenburg 16 Mura 17 enyhül 18 veszályben forog 19 inas 20 műhely 21 tűzoltó.

**Alfredus a Kiderlen-Wächter** ex intimis Germaniae imperatoris repente mortuus est, cum apud propinquos Natalem Sanctum celebraturus moraretur. Aequalis fere Guilelmi II. per multos annos domini sui itinerum socius fuit, mox nuntius eius Havniae et Bucurestii semper pacis gentium patronus erat. Imperator morte amici nuntiatā his verbis eius sorori dolorem declaravit: Deploro mortem viri unius excellentissimi, de quo Germania adhuc magna sperare poterat.



**Magister** pueros patriae amorem docens puerum quendam interrogat:

— Quos colores habet signum<sup>1</sup> gentile nostrum?

— Rubrum, album, viridem.

— Bene est. Nunc dic mihi: quid sentires, si in pugna signum gentile huc-illuc fluitare<sup>2</sup> videres?

— Sentirem..., sentirem... ventum esse.  
R. K.

**Hospes.** Hic est lepus recens?

*Cauponis puer.*<sup>3</sup> Recentissimus; paulo ante in tecto cursitabat.

V. De-Vecchi, Panengo (Italia).

**Antonia** maligna<sup>4</sup> ad Paulam: Invideo magnis oculis Annae.

*Paula.* Ne invide ei. Tu pro oculis habes aures magnas.  
A. Sziklai (Bp. III.).

**Vir quidam** apud hominem avarum parce<sup>5</sup> cenavit. Post cenam dominus ad hospitem

— Quando -- inquit -- rursus ad me cenatum venies?

— Si vis, ilico.  
Idem.

**Interpellator quidam:** Mi fili, pater tuus domi est?

— Non est domi.

— Ubi est?

**Puer introrsus**<sup>6</sup> clamans: Nunc quid dicam, mi pater?

L. Zucker (Bp., III.).

— **Mi pater,** cur pluit?

— Ut herbae<sup>7</sup> quaecunque crescant.

— Cur igitur pluit in Via Andrassyana?

Á. Zsögön (Armenopolis).

**Mi fili,** quia tam urbanus es, in hortum meum venire potes, ubi ventrem tibi fructibus oppleas.

— Utinam, domine, ventrem tuo similem haberem!

**Centurio.** Quid debet miles facere, ut pompā militari sepe liatur?

*Miles.* Mori.

G. Kerényi (Bp., VII. B.).

**Rusticus** filium ad magistrum miserat. Revertentem interrogat pater:

— Vidisti magistrum?

— Vidi. Caecus<sup>8</sup> esse videtur vir ille miserandus.

— Mufrius<sup>9</sup> es. Cur eum caecum putas?

— Quia identidem rogabat: Ubi habes petasum?<sup>10</sup> Ubi habes petasum?

— Quid<sup>11</sup> autem?<sup>11</sup>

— Toto tempore petasum in capite habui.

L. Bozóky (Bp., III.).

**Parentes** cum Paulo parvulo plastro<sup>12</sup> viae ferratae vehuntur. Quamquam a patre admonitus caput identidem<sup>13</sup> e fenestra protulit.<sup>14</sup> Repente pater petasum filii arreptum pone<sup>15</sup> tergum abdidit. Paulus petasum vento ablatum existimans flere coepit.

— Ne fle, mi fili. Ego sibilo<sup>16</sup> et petasus redibit. Et sibilans petasum in capite parvuli reposuit.

Mox autem dum parentes colloquuntur, Paulus iterum prospectat et ventus re vera petasum abstulit.


— Sibila, mi pater, ait Paulus. B. Farkas.

**Diogenes** quaerenti cuidam, quando cenandum esset, respondit:

Diviti, quando liberet, pauperi, quando, quid ederet, haberet.

Z. Hallay.

<sup>1</sup> nemzeti lobogó <sup>2</sup> lobog <sup>3</sup> pincér <sup>4</sup> rossz természetű <sup>5</sup> szűken <sup>6</sup> befelé <sup>7</sup> növény <sup>8</sup> vak <sup>9</sup> birka <sup>10</sup> kalap <sup>11</sup> nos, és? <sup>12</sup> kocsí <sup>13</sup> ismételten <sup>14</sup> kidug <sup>15</sup> mögé <sup>16</sup> füttyül.



I.

S. Moldovan.

*M	o	o			l	e	c
n		a	s	t			u
t	n	p			m	o	s
		e			t		
d	t	i			n	l	m
r		m	u	u			s
u	o	a			i	q	i

II.

**Pater** quidam quattuor filiis pecuniam reliquit, unde primus tribus milibus coronarum minus accepit, quam erat dimidia pars summae totius; alter mille coronis minus, quam erat tertia pars; tertius partem quartam; quartus super partem quartam DC coronas accepit.

Quantum erat pecuniae? Quantum accepit quisque?

C. Poscheno (Gretium).

III.

**Quo** mihi tempore tradita est pura vestis?

*His verbis quo modo hexameter efficitur?*

G. a Beöthy.

IV.

**Domicilium** antiqui poëtae Romani

Mater urbis Romae a Tullo Hostilio deleta

Ubi Augustus Caesar mortuus est

Urbs in media Sicilia cum templo Cereris

Urbs celeberrima Campaniae

Collis Romae cum hortis Sallustii

Ager Italiae inter Tiberim et Campaniam

Locus natalis Tacitorum

Clara urbs Etruriae a Sullā deleta

Maxima insula in Mari Interno

Terra Italiae inter Umbriam et Mare Tyrrhæ-

Emporium celebre in Graecia Magna. [num

*His nominibus geographicis in ordinem digestis proverbium notissimum efficiatur.*

C. Poscheno (Gretium).

V.

Aem. Lustig (Keszthely).

et et et et sunt sunt  
et et et sunt XVI  
et et et et sunt sunt

Solutiones aenigmatum num. 7—8.

I. Anna, canna, manna. — II. Ille homo viam nasi vix sequetur. — III. Equuleus. — IV. Vindobona. — V. Rahel, Lehár. — VI. Nihil. — VII. Invita Minerva.

**Aenigmata recte dissolverunt:** I. Andrassy (Budapest), L. Barszak (Leopolis), L. Böhm (Keszthely), E. Brenek (Budapest), M. Collini (Florentia), B. Dávid (Budapest), A. Fournier (Parisii), I. Glück (Leopolis), E. Grabner (Praga), A. Herman (Leopolis), A. Kemény (Budapest), L. Kiss (Dés), G. Korn (Leopolis), A. Krywald (Leopolis), C. Lesmann (Cibinium), P. Maddoc (Oxonia), P. Noponen (Helsinki), Th. Pryszlak (Leopolis), G. Tarczay (Zagrabia), T. Vuia (Temesvár).

Praemium Theodosio Pryszlak Leopolitano sorte obvenit.



**Clericus.** Carmen Petőffianum ita convertisti, ut nec verba exeuntia inter se consonent nec verborum numeri serventur. Experiaris oratione soluta scribere. — Iosephus Sz. (Gladius I. Roze). Proxime prodibit. Quod pinxisti, difficile mihi videtur. — *Gymnasium Temesváriense.* Quis hanc picturam pulcherrimam misit? Fac mittas etiam descriptionem scholae in breve coactam. — F. M. Nunc reddebatur mihi Arx Zboroviensis, quam duobus annis ante miseram. Id. Mart. in numero duplici versionem publici iuris me facturum spero. Nonne etiam picturam arcis habes? — *Nox mirifica.* Optime rem descripsisti, sed haud videor falli, cum lectoribus parum delectationis praebituram esse arbitror. — *Coma Berenices* est fabula pulcherrima, sed lectoribus nostris parum aptam putaverim. Pro ceteris gratias! — A. Herman. Solutiones tuae (num. 6.) mihi Non. Ian. redditae sunt, cum iam numerus 9. publici iuris factus esset. Cur non prius? — *Carolus P.* E tuis unum alterumve eligam. — De velocitate *avium.* Aliud a te exspecto. — *Guilelmus B.* «Lepus et pecunia» proxime vulgabitur. — *Le Strat.* Alterum commutatum fortasse prodibit. — De reliquis proxime.

Moderator ephemeridis STEPHANUS SZÉKELY DR. Budapestini, Üllői-út 71., ad quem litterae quaecunq; mittantur.

Sumptibus moderatorum ephemeridis: Magyar Középiszkola.